

non habent ) particulares propositiones constituit : non est autem hoc interpretari , sed ( sicut hæc maxima est ex Papatus erroribus ) evertere Scripturas , ubi contraria eis sententia affingitur.

§. 13.

Excipiunt hic Pontificii : Si Conjugia omnium sunt honorabilia , etiam Conjugia consanguineorum in primo & secundo gradu erunt honorabilia , & conjugia adolescentum injussu parentum contracta : sed nihil efficiunt : ibi enim dispar est ratio propter intercedentem divinam prohibitionem , quæ ex *Levit. 18.* & ex *IV. Decalogi præcepto* est manifesta ; ostendant vero Pontificii in Conjugio Sacerdotum divinam prohibitionem , quod reverà facere ac præstare nunquam poterunt.

§. 14.

Tertium sententiæ nostræ argumentum de Conjugio Sacerdotum , ex ejusdem conjugii prohibitionis impietate ducimus : quæ *1. Tim. 4. vers. 3.* his verbis habetur , fore nim : *ut novissimis temporibus desciscant aliqui à fide , attendentes Spiritibus deceptoribus ac doctrinis Dæmoniorum per hypocrisin prohibentium contrahere matrimonium.* Syllogismus talis esto. Qui prohibent nuptias , illi doctrinam fovent Dæmoniorum ; Pontificii hoc faciunt , dum cogunt Sacerdotes , qui continere nequeunt , sese voto castitatis obstringere : Ergo. Major ex dicto allegato satis superque elucet. Minorem liquidæ veritatis esse , Pontificios nim : conjugium prohibere , tam illorum concilia , quam ipsa experientia testatur.

§. 15.

Effugium tamen quærunt Pontificii : quod

B 2

non